

viduarum, pupillorum, et peregrinorum curam habebat, Parochos aliosque Beneficiatos *corporaliter*, ut aiunt, instituebat et quos perspiceret ad ordines idoneos Episcopo offerebat, jejunia et dies festos indicebat, et re Sacramentali excepta, nullum ferme negotium erat, quod sine Archidiacono conficeretur; qua de re manus et oculus Episcopi appellabatur. Ab initio tanta Archidiaconi potestas a mandato et arbitrio Episcopi pendeat; at deinceps in potestatem ordinariam abiit, ita ut Archidiaconi non amplius ad Episcopi nutum moverentur, sed tamquam Vicarii Episcoporum nati, sive dati a jure jurisdictionem propriae dignitati adnexam consequuti sunt, eamque inferiorem quidem, distinctam tamen ab Episcopi jurisdictione: et idcirco a sententiis Archidiaconi non ad Metropolitam, sed ad Episcopum provocabatur. Nunc temporis Archidiaconorum potestas pene concidit, et omne ipsorum munus eo redactum est, ut adsint Episcopo generales Ordinationes habenti, vocentque Clericos, qui ad ordines promovendi sunt. Potestas quoque Archipresbyteri et Decani, de quibus supra diximus, eandem fortunam passa est. Ergo utriusque auctoritas hodie aut nulla, aut tanta est, quanta eis ex locorum institutis, aut consuetudine tribuitur. At vero ex Archipresbyterorum et Archidiaconorum potestate extincta, seu ad Episcopum revocata, novae dignitates seu officia emergerunt: namque Archidiaconis Vicarii Generales, Archipresbyteris ruralibus Vicarii Foranei, et Archipresbyteris urbanis Episcopi Suffraganei quodammodo suffecti sunt, de quibus agendum est.

§ 13.

DE VICARIIS GENERALIBUS.

In hodierna Ecclesiae disciplina, qui contentiosam et voluntariam jurisdictionem auctoritate et nomine Episcopi exercet, Officialis aut Vicarius Generalis appellatur. Italiae mori-

bus nullum discrimen est inter Vicarium Generalem atque Officiale; nam utraque jurisdictione contentiosa et voluntaria uni eidemque personae delegatur, quem Italiae usum Synodus Tridentina sequuta est, sess. 24 de Reform. cap. 16, ubi Vicarii et Officialis nomina promiscue adhibuit. At in Gallia, aliisque Ecclesiis Transalpinis utraque jurisdictione diversis personis delegatur, et Officialis dicitur, qui jurisdictionem contentiosam exercet, Vicarius autem generalis vocatur, cui voluntariae jurisdictionis administratio tribuitur.

Vicarii habendi consuetudinem plerique acceptam referunt Concilio Lateranensi IV, ubi Innocentius III Episcopus hortatus est, ut si totam Episcopatus sarcinam ipsi nequirent sustinere, adjuutores sibi adsciscerent, quibuscum collata opera, Dioecesim recte administrarent. Caeterum Vicariorum origo sive ex Lateranensi Concilio, sive ex alia lege vel consuetudine repetenda sit, illud exploratum videtur, quod Vicarii Generales aetate Gregorii IX apud omnes saltem Ecclesias nondum obtinuerant, cum in Gregoriana Decretalium compilatione Vicariorum Generalium vestigia nulla sint. Contra vero temporibus Bonifacii VIII Vicarii Generales invaluerant, namque in 6 Decretalium sub titulo *De offic. vic.* ipsorum munera distinctius proponuntur.

Constitutio Vicarii Generalis ad solum Episcopum pertinet, nec vetatur Episcopus plures sibi Vicarios constituere, et 1. quidem uni jurisdictionem voluntariam, et alteri jurisdictionem contentiosam demandando. 2. Utramque jurisdictionem singulis in solidum delegando. 3. Certas Dioecesis regiones unicuique assignando. Vicarius primo modo constitutus illud jurisdictionis genus explicare potest, quod sibi mandatum est, et idcirco voluntaria jurisdictione auctus limites suae potestatis excederet, si Judicis personam indueret et sententiam pronuntiaret. Si vero utraque potestas pluribus in solidum concessa sit, semper antefertur qui prior negotium occupavit. Si denique potestas data sit cum certa assignatione seu distri-

butione territorii, unusquisque debet sese intra limites praestitutos continere.

Eligi autem debet in Vicarium Clericus non minor viginti quinque annis, moribus integris, et doctorali utriusque juris, vel saltem canonici laurea insignitus, nisi aliunde ipsius peritia manifeste comperta sit. At in Vicarium sumere non licet Laicum, neque Clericum conjugatum, etiamsi in habitu et tonsura clericali incedat, neque Clericum bigamum, neque consanguineum Episcopi, neque civem Urbis Episcopalis seu Dioecesis, neque Canonicum Poenitentiarium, neque Parochum, neque alium quemlibet animarum curam habentem, ne videantur uti scientia in Sacramento Poenitentiae comparata, nec denique Regulares ex Ordine Mendicantium: Canonici autem Regulares vel Monachi ab eo munere non arcentur, dummodo sui Praelati veniam impetraverint haud concedendam sine gravi causa, et ea lege ut religiosum aliquem sibi socium adjungant.

§ 14.

DE POTESTATE VICARIORUM GENERALIUM.

In constitutum Vicarium transit omnis jurisdictio, quae ad Episcopum jure ordinario pertinet; namque Vicarius in iis quae jurisdictionis sunt, Ordinarius censetur, atque unum idemque Tribunal cum Episcopo constituit, ideoque a Vicario ad Episcopum non appellatur. Caeterum multa sunt hac de re inspicienda, ne Vicarius potestatis suae limites praetergrediatur. In primis autem cum Vicarius mandato Episcopi constituatur, illud plane consequitur, quod ea facere nequeat quae Episcopus nominatim exceperit; nihil enim impedit quominus Episcopus aut ampliorem potestatem, aut contractiorem concedat. Deinde vero quemadmodum Vicarius non ordinis, sed jurisdictionis potestatem consequitur, sic ea praestare

nequit, quae ad potestatem ordinis spectant, aut ab ea profiscuntur, qualia sunt chrisma conficere, Ecclesias et altaria consecrare, aut pollutis sanctitatem restituere, nec litteras dimissoriales ad ordines tribuere, nisi Episcopus in longinquis partibus versetur, ita ut a Clericis ordinandis sine magna difficultate adiri nequeat cap. CUM NULLUS de Temp. ordin. in 6, et glossa ibid. v. *remotis*. Quin etiam quae sunt Episcopalis ordinis non licet Vicario peragere, etiamsi Episcopali characterе insignitus sit, neque ea exercendi potestatem alteri Episcopo facere potest. Praeterea cum Vicarius in sola ordinaria jurisdictione vices Episcopi gerat, idcirco nequit iis rebus sese immiscere, quae ad Episcopum pertinent, tamquam Sedis Apostolicae delegatum, et multo minus in iis quae Episcopo commissa sunt talibus verbis, aut clausulis, quibus significetur negotium soli Episcopo delegari. Denique ex generali Episcopi mandato quo quis in Vicarium constituatur, et sine speciali concessione Vicarius beneficia non confert, nec eis fundandis, supprimendis, vel uniendis assensum impertitur, factas uniones non revocat, resignationes non admittit, et generatim in materia beneficii nihil agit eorum quae sunt liberalitatis et gratiae, sed illa tantum quae sunt necessitatis et justitiae, veluti praesentatos a patronis instituere, et electos confirmare. Similiter sine speciali mandato causas matrimoniales, et criminales non cognoscit, irregularitates et suspensiones ex occulto crimine provenientes non relaxat, a casibus Episcopo reservatis non absolvit, neque ab eis absolvendi facultatem largitur. Sic etiam Synodum non indicit, Capitulum Canonorum non convocat, eique non interest, neque fert suffragium, non visitat Dioecesim, et universim in negotiis valde arduis et gravioribus inconsulto Episcopo non procedit.

Vicarii generalis jurisdictio potius ordinaria videtur quam delegata, quatenus ejus officium per legem seu canonem probatum est, et quanquam alterum sibi Pro-Vicarium substituere nequeat, causas tamen aliquas alteri delegari potest,

quod delegatis non licet. Exspirat autem Vicarii jurisdictio tribus praesertim modis, et primo quidem Episcopi voluntate, si nempe Vicarium amoverit, sed remotio evulganda est, et ipsi Vicario denuntianda, et si quid ante denuntiationem ipsam a Vicario geratur, omnino valet, propterea quod generatim jurisdictio non exstinguitur, donec iudex de revocatione certior fiat L. SI FORTE ff. de Offic. Praesidis. Secundo morte Vicarii, aut expressa renuntiatione, vel etiam tacita; censetur autem tacita, si Vicarius a Dioecesi discedat animo non redeundi, quod docet Fagnanus in cap. PRAESENTATA de testibus n. 10. Tertio denique, cessante jurisdictione Episcopi per ejus mortem, renuntiationem, translationem, aliamve causam ob quam Episcopus Episcopatu abeat, aut jurisdictione privetur, quin illud peculiare est, quod etiam rebus non integris potestas Vicarii exstinguatur, ita ut in negotiis jam coeptis non progrediatur, qua in re Vicarius differt a delegato: hujus enim potestas in negotiis jam coeptis delegantis morte non exspirat.

§ 15.

DE VICARIIS FORANEIS.

Praeter Vicarium Generalem alii sunt peculiare Vicarii, quos *Foraneos* dicimus, qui in certa parte Dioecesis constituti per unum aut plura oppida aliquas levioris momenti causas expediunt. Quia vero Vicarii Forani Tribunal habet ab Episcopo discretum et separatum, idcirco ab eorum sententiis ad ipsum Episcopum appellatur. Quod si hoc discrimen inter Episcopi et Vicarii Foranei tribunal aliquibus minus placeat, illud afferre possumus appellationem a Vicariis Foraneis ad Episcopum deferri, sive quod hujusmodi mos consuetudine roboratus est, sive quod Vicarii Foranei cum iudicibus pedaneis videntur convenire, a quibus provocatur ad eum qui delegavit. Itaque pro arbitrio Episcopi constituuntur, tantaque

ipsorum potestas est, quantam Episcopus demandaverit. Praecipuum tamen Vicarii Foranei munus est, Episcopo renuntiare mores Clericorum, atque in eorum crimina inquirere, observantiam Constitutionum Synodaliū, et Decretorum Episcopi sedulo promovere, et Episcopum admonere, si qua forte in suis oppidis adversus fidem et bonos mores, aut Dei cultum, Templorum venerationem, Festorum dierum observantiam, et christianam disciplinam perpetrentur; denique causas civiles parvi momenti definire.

§ 16.

DE SUFFRAGANEIS.

Ubi in aliqua Dioecesi Episcopus non resideat, vel obactatem, aut valetudinem, aut ipsius Dioecesis amplitudinem nequeat per se Episcopalis ordinis munera explere, auxiliator interdum conceditur qui Episcopus *Suffraganeus* vocatur. Itaque Suffraganeus est Episcopi auxiliator in Sacri Ordinis ministeriis, quae ipsemet Episcopus obire aut nolit, aut nequeat. Ergo necesse est ut Suffraganeus cum titulo alicujus Ecclesiae in partibus infidelium sitae Episcopus consecratus sit; nec datur Ecclesiae, sed Episcopo, atque adeo illius munus et officium cessat statim ac Episcopus aut morte aut alia ratione Episcopatum reliquerit. Quanquam vero Suffraganeus ad ordinis ministeria sumatur, et nequeat quae jurisdictionis sunt ulla ratione attingere, nihil tamen obstat, quominus ab Episcopo adjuto in Vicarium Generalem constituatur, quo expeditior sit utriusque potestatis administratio. Suffraganeus autem a Romano Pontifice petendus est, quod ea res causis majoribus adnumeretur. Sed Apostolica Sedes Suffraganeum non concedit, nisi ejus habendi et necessitas et consuetudo probetur, assignata etiam Suffraganeo pensione certa, ex qua honestum habeat vitae cultum, neque unquam egere cogatur

in dedecus Episcopalis ordinis et dignitatis. Vide Benedictum XIV de Synod. Dioeces lib. 13 cap. 14, ubi de Suffraganeis copiose disserit.

§ 17.

DE COADJUTORIBUS.

De constituendis Episcoporum Coadjutoribus sive ad tempus, sive cum futura successione dictum est in Jure publ. Eccl. lib. 2 § 51: nunc eorum officia breviter commemorabimus. In primis vero animadvertimus, Canonem VIII Concilii Nicaeni, quo cautum est, ne duo in eadem Ecclesia simul essent Episcopi, non ita intelligendum esse tanquam si duo in una civitate Episcopi omnino prohiberentur, licet unus Episcopus et Ecclesiae Sponsus, et alter Coadjutor esset, sed duntaxat ne duo Episcopi eodem jure et titulo ad unam regendam Ecclesiam constituerentur. At S. Augustinus in ea videtur opinione fuisse, Nicaenum Canonem electioni Coadjutorum non adversari, non tamen permittere, ut Coadjutor, vivente Coadjuto, Episcopus consecratur. Itaque Heraclium sibi in Episcopatu Hipponensi Coadjutorem haereditarium adscivit, non tamen Episcopum ordinavit, scribens epist. 110: «Adhuc in corpore posito beatae memoriae Patre et Episcopo, sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod Concilio Nicaeno prohibitum esse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit Presbyter ut est, quando Deus voluerit futurus Episcopus.» In praesenti disciplina coadjutores cum jure successionis Episcopi consecrantur, ut Coadjuto impedito alter sit qui munera Episcopalis ordinis explere possit. Sed ne duo simul unam eandemque sedem tenere, neve duo esse unius Ecclesiae sponsi videantur, Coadjutor ad titulum alterius Ecclesiae in partibus infidelium promovetur, quem qui-

dem titulum retinet usque dum Coadjutus vitam vixerit.

Potestatem vero Coadjutorum ex fine metimur, cujus gratia constituti sunt. In Coadjutoriis finis et auxilium impotenti Episcopo ferendum. Universim itaque potestas Coadjutoris ad omnia illa pertinet quibus Coadjutus Episcopus impar est. Quamobrem si Coadjutor Episcopo amenti, aut plane inhabili datus sit, plenam potestatem habet administrandae Dioecesis, excepta tamen alienatione bonorum, cap. unic. DE CLER. AEGROT. in 6. Quo tamen ex capite non vetatur beneficia conferre, siquidem alienatio Coadjutoribus interdicta est earum rerum quae servari possunt, collationes autem beneficiorum ex quadam necessitate fiunt, ne beneficia immuntione divini cultus, et animarum detrimento diutius vacent. At si Episcopus Coadjutus ratione praeditus sit, id ipsi licet quod libeat et possit facere nullo Coadjutoris consilio vel consensu adhibito, cum Episcopali titulo et jurisdictione non privetur. Privatur autem potestate delegandi, propterea quod quae Coadjutus efficere aut nolit, aut nequeat, ea in primis Coadjutor explere suo jure debet. Verumtamen in statuendis Coadjutorum juribus non modo finis, seu causae cur dati sint, sed etiam litterarum Apostolicarum praecipua ratio habenda est.

§ 18.

DE PRAELATIS INFERIORIBUS.

Paelati inferiores secundi Ordinis Clero praestant, sed infra Episcopos sunt, et medium veluti locum inter utrosque tenent, quorum triplex genus est. Primum est eorum, qui certo generi personarum intra septa alicujus Ecclesiae, Conventus, vel Monasterii praesunt, uti sunt Moderatores generales Ordinum, Provinciales et Abbates sive Regulares sive Saeculares Romano Pontifici immediate obnoxii, et eam jurisdictionem in Clerum sive Regularem sive Saecularem exercent, quam

a Regulis et Constitutionibus Ordinis, aut Apostolicis privilegiis consequuti sunt. Alterum genus eorum est, qui dicuntur *in Dioecesi* quatenus potestatem exercent in Clerum et Populum certi loci, qui in Dioecesi alterius Episcopi continentur: propterea territorium ab ea separatum non habent, eorumque jurisdictio videtur magis esse personalis quam localis. Tertium denique genus Praelatorum, qui *nullius* dicuntur, omnium nobilissimum est: habent enim jurisditionem in Clerum et Populum alicujus loci vel Oppidi, aut etiam plurium locorum vel Oppidorum omnino avulsam et separatam a jurisditione Episcopi Dioecesis, et ideo constituunt quamdam quasi Dioecesim, et sunt eorum locorum Ordinarii. Horum jurisdictio quasi Episcopalis dicitur, eo quod exceptis iis quae Ordinis Episcopalis sunt, reliqua omnia suo jure exercent; Synodum tamen celebrare non possunt, nisi a Sede Apostolica expressum privilegium convocandi Synodum obtinerint, et nisi de usu ejusdem privilegii legitime constiterit. Quoniam vero jus convocandi Synodum, et jus indicendi concursus ad Parochiales Ecclesias quodammodo inter se connexa videntur, quum ex Concilii Tridentini sess. 24 cap. 18 de Reform. concursus coram Examinatoribus in Synodo Dioecesana electis instituendus sit, idcirco qui Synodum congregare potest, concursus etiam et examen indicere, eaque omnia praestare poterit quae ab eodem Concilio sancita sunt citato loco.

CAPUT III.

DE CANONICIS ET PAROCHIS:

§ 19.

DE ORIGINE CANONICORUM.

Primis Ecclesiae saeculis Canonorum nomen Clericis omnibus commune fuit, tum quia per sacram ordinationem canonum seu matricolae Ecclesiae, id est ecclesiastico ministerio abdicebantur, tum quia ex bonis ecclesiasticis canonem seu certam portionem, vel sportulam singulis diebus vel hebdomadibus, vel mensibus seorsim accipiebant, tum quia vitam sub Canone, videlicet sub certa quadam ecclesiastica regula agebant. Ejus ecclesiasticae regulae praecipuum caput erat vita communis, quam fideles omnes, in primisque Clerici ab ipsis Apostolis edocti fuerant. At lapsu temporis cum ea rerum communitas negligere, in ea promovenda, et ubi lapsa esset restituenda, sanctissimi Antistites Ecclesiae bono nati plurimum laboraverunt. Hinc Canonici deinceps vocati sunt ii soli, qui communem quodammodo vitam, et certam vivendi regulam sectabantur.

Verum a saeculo decimo illud communis vitae institutum nutare coepit, et sensim corrui. Non omnes tamen Clerici ab ea vivendi forma recesserunt; namque aliqui clericalem statum cum vita monastica conjunxerunt, et propterea Canonici Regulares appellati sunt. Caeteri autem Clerici, qui abjecta vita communi suis in domibus singularem vitam agebant, Canonici saeculares dicti fuerunt; saeculares quidem, quia propria bona retinentes, perpetuisque praebendis donati in saeculo viverent; Canonici autem vocati, ideo quod in Ecclesiis Cathedralibus unum veluti corpus cum Episcopo componerent.